

Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1734

Quæstio. An Lex Aquilia, damnum ex causa levi & levitissima datum,
resarciri jubens, procedat etiam, quando concurrit cum contractu, in quo
secundum Leges major tantum præstatur culpa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

culpam levem, & probabilius, etiam levissimam, ita ut Judex teneatur eum, qui culpa levi aut levissima aliis damnum causavit, condemnare ad reparationem damni. Casu quo tamen Lex Aquilia concurrit & incidit in contractum, in quo secundum Leges minor praestatur culpa, ut in Deposito Depositarius solum culpâ latâ, & in locatione-conductione solum culpare vi tenetur Conductor, an quoque procedat Lex Aquilia, ita ut non obstante contractu Depositarii ad culpam levem, & non obstante contractu Locationis-Conductionis conductor ad culpam levissimam praestandam teneatur, est

QUÆSTIO.

*An Lex Aquilia, damnum ex culpa levi & levissima datum
refarciri jubens, procedat etiam, quando concurrit cum contra-
etu, in quo secundum Leges major tantum
praestatur culpa?*

ACtionem Legis Aquiliae etiam in hoc casu procedere & locum habere, sustinet Petrus Barbosa ad l. simora. n. 32. ff. solutio Matrim. Zoesius ff. tit. ad L. Aquil. n. 9. Favetque Brunnemannus ad d. tit. ff. l. 44. n. 6. & 7. Et sic argunt. 1. Etiam si actio locati (idem est sua ratione etiam de actione depositi) non habeat locum, & exinde reparatio damni, ex culpa levissima dati, petinequeat, habet tamen locum actio Legis Aquiliae, damnum ex culpa levissima, saltem commisionis, datum reparari jubentis: ergo non obstante, quod Lex Aquilia incidat in contractum, qui majoris tantum culpæ præstationem exigit, tamen habet locum. Antec. probatur tum ex l. 45. ff. Locati, vi cuius actio noxalis cui similis est actio

Legis Aquiliae, locum habere potest, licet actio locati non habeat: tum ex l. 5. ff. ad L. Aquil. ubi JC. dubitat, an in casu, quo Magister discipulum eluscavit, detur actio locati, non verò dubitat de actione Legis Aquiliae. 2. Ex nostra sententia sequitur, quod si conductor & extraneus simul per culpam levissimam damnum inferant, extraneus teneatur ex culpare levissima, conductor non teneatur; quod est absurdum, cum eadem utriusque sit culpa, imò fortè major conductoris esse videatur.

Hic non motus sentio cum Covaruv. de Matrim. p. 2. c. 6. l. 8. n. 14. Molina tr. 2. de J. & J. d. 697. n. 8. Menoch. l. 2. de Arbit. Jud. cas. 3. q. 9. apud Brunnem. lo. cit. n. 5. Jungantur Struv. ad ff. exercit. 14. th. 20. Eckolt

Le 3

ad

ad L. Aquil. ff. §. 1. & alii communius.
 Ratio est 1. Si Lex Aquilia procederet, quando concurrit cum contractu, in quo Leges majorera requirunt culpam, quam levissimam aut levem, ad resarcitionem damni illati injungendam, hujusmodi leges prorsus inanes, illuforix, & sine effectu forent; quid enim prodeßent contrahentibus, quos ad culpam levem vel latam tantummodo adstringunt, si interim sinerent ex alio capite, nimirum Legis Aquiliæ, condemnari ex leviori vel levissima culpa? 2. Lege Aquilia non vindicatur quodvis damnum, sed illud duntaxat, quod injuriæ vel insulte datum est: sed damnum culpâ levissimâ, velleviori, quam Leges in contractibus vindicant, non censetur injuriæ vel insulte datum, cum ipsa Leges hanc culpam condonent, & pro culpa in ordine ad reparandum damnum non habeant. 3. Damnum casu fortuito datum nec ad Legem Aquiliam pertinet: sed damnum culpâ levissimâ &c. datum, ubi Leges ipsa eam remittunt, rectè censetur esse datum casu fortuito, quia cayeri non debuit secundum Leges, eam scilicet remittentes, & non vindicare volentes.

Ad Objecta si. Ad 1. imprimis si actio locati vel alterius contractus locum non habeat, utique procedit Lex Aquilia; ergo, si dictæ Leges

dicant non dari actionem locati, bene tamen actionem Legis Aquiliæ, nostram sententiam non impugnant, utpote vagantes extra statum questionis. Dein in l. 45. cit. ideo negatur judicium locati locum habere, quia damnum à servis conductoris, non ab ipso conductorre, fuit illatum, & ideo culpa extra contractus causam commissa fuit. In l. 5. autem JC. solùm id dicit, quod consultius sit eligere actionem Aquiliam, quia hæc certò datur, de actione locati vero dubium est, an detur. Igitur ex his Legibus non probatur, locum habere Actionem Legis Aquiliæ, quando non habet Actio Locati, & tamen simul intervenit contractus locati. Ad 2. C. sequelam, sed nego, esse absurdam; certè absurdum non est, si conductor & commodatarius culpâ levissimâ damnum inferant, licet dicatur, & dici debeat, commodatarium teneri ex contractu, conductorum non teneri ex contractu ad reparandum damnum, non obstante, quod videatur esse par utriusque culpa. Dein negatur, quod extranei & conductoris eadem sit culpa, vel major ex parte conductoris; cum conductor culpâ levissimâ inferens damnum potius omnino non delinquat, & nullam committat culpam, quam Jura vindicent,

TITU-